

Philodemea.

Philodemi Epicurei librorum, qui ex bybliothecca Herculansenſi innotuerunt, vix ullus integrior ad nos pervenit, quam τῶν περὶ θανάτου liber quartus, quem edidit anno h. s. 86 S. Mekler, supplementis inluſtraverunt praeter ipſum editorem Blassius, Bureschius, Dielsius. Cui cum multum operae impertiviſſem, ſola Mekleri editione niſus, ceterorum vv. dd. additamentis nondum cognitis, multa quae me invenisse gaviſus eram ab illis maximeque a Dielsio praerepta eſſe, poſtea vidi. Sunt tamen, quae ab illis nondum occupata ad librum reſarciendum conferre poſſe mihi videar. Ea hac ſcribendi occasione proponere libet.

I. Notum eſt Epicureos in diluenda mortis formidine plurimum operae poſuiſſe; quam conſuetudinem ſecutus hoc libro Philodemus ſingulas cauſas percenſet, quibus ut mortem metuant homines permoveantur, eaſque deinceps omnes nihili eſſe arguit. Quae libri indoles in poſtremis columnis iſdemque optime ſervatis facillime perſpicitur. Primae vero ſeptem columnae tam male habitae ſunt, ut ſingula enuntiata expiſcari poſſis, filum atque ordinem diſputationis parum intellegas. Sunt tamen ſigna quaedam unde *de doloribus cum morte coniunctis* hac libri particula actum eſſe appareat. Vid. col. IV 10 ὡς μεθ' ἡδονῆς τελευτῶντας. col. V in. de iis agitur qui δι' ἀκῶν καὶ φαρμάκων ſine doloribus debilitantur. Sequentia ita reſtituo: (ἢ τὸ) ζῆν μετὰ τὰς εὐχίας ἐν τοῖς ὑπνοῖς κα(τα)προϊεμένους (cf. Polyb. III 81, 4) καὶ τοὺς ἐν τ(αῖς) οἰκείαις ἐγ(έρσ)εſιν ἀναιſθητοῦν(τας). Exempla videlicet mortis dolore carentis enumerantur. Ibid. 11. 12 ἀλγηδόνοſ πολλ(ῆς) περὶ τιναſ (τελευτὰς) ἀκολουθοῦſης(ς). col. VI κἀ(ν) ἐπα)ιſθό(μενοι διατελ)έſωſ(ιν) πῶς οὐκ εἰκόſ ἐσ(τι) . . . καταſτρέφονταſ ἀλγηδό(σι) . . . περιπίπτειν col. VII 17 (ἀλγ)ηδόνοſ. Ex hiſ locis iure colligere mihi videor tota hac capitum ſerie de doloribus cum morte coniunctis agi. Ac mihi quidem id Philodemus probaſſe videtur, quamvis interdum accidat, ut dolores . . . ique magni mortem praecedant, tamen plerumque ipſam mortem i. e. animae a corpore ſeparationem (χωριſμόν vel

ἀποσπασμόν) non sentiri itaque non esse quod mortem ceteris morbis doloribusve magis timeamus. Nam col. V exempla profert mortis dolore carentis, ibidem paullo post dolores accidere concedit, col. VI in., ubi Mekleri supplementa optime se habent, de sensu loquitur.

Iam col. VII 8 nomen occurrit adversarii, quem his capitibus Philodemus impugnat, Apollophanis cuiusdam, qui num idem sit cum Apollophane Stoico Aristonis discipulo (vid. Zeller IV 36) incertum est. Hic igitur Epicuream de morte doctrinam ita lacesivisse videtur, ut artam illam corporis et animae coniunctionem ac *sympathiam* ab Epicuro introductam (vid. Lucret. III 325 sq. 580 sq.) nisi cum gravissimo doloris sensu dissociari non posse contenderet.

His igitur praemonitis, quae quatenus vera sint postea elucēbit, ad col. VIII supplendam accedo. Haec enim tam bene servata est, ut paucis verbis hic illic insertis totius disputationis ordo recuperari possit. Ac primum quidem contextum a me restitutum propono.

(συμβή)

σεταί τε κατὰ τὸν λόγον πάσας μετ'	1
ἄ(κ)ρων ἀληθόνων ἐπιγίνεσθαι τὰς	
τελευτάς, ἀξιούντω(ν ἄ)δύν(ατον εἶναι)	
τὴν ἀνυπέρβλητον λύεσθαι συ(μφυϊ-)	
αν μὴ μετ' ὀχλήσεως ἀνυπερβλήτου.	5

l. 1 συμβήσεται saepissime adhiberi constat, ubi absurda quaedam adversarii sententiam sequi ostenditur. Ac primum quidem in ultimis versibus absurda rideri arbitratus, ἀξιούντων cum praecedentibus coniunxeram, sequentia ita suppleveram: δυνατὸν εἶναι etc., qua supplendi ratione sententia plane diversa evaderet. Sed certissimum est, inter ω et δ duas excidisse literas, quod Scotti exemplum docuit. Iam si ἀδύνατον reponendum est, ἀξιούντων ad sequentia trahetur, absurda illa τὰ κατὰ τὸν λόγον συμβαίνοντα primis versibus inesse necesse est. Hinc mea supplendi ratio exorta est.

Sententiam ita explico. Coniunctionem corporis et animae artissimam ab Epicuro doceri, quae scilicet scindi nequeat, nisi ut et animus et corpus simul intereant, supra monui. Notissimum porro Epicuri placitum diurnos dolores non esse magnos, magnos semper breves esse (vid. frgm. 447 Vs. οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν). Confer etiam Lucr. III 580 sq.

denique cum corpus nequeat perferre animai
 discidium, quin in taetro tabescat ordore,
 quid dubitas quin ex imo penitusque coorta
 emanarit uti fumus diffusa animae vis,
 atque ideo tanta mutatum putre ruina
 585 conciderit corpus, penitus quia mota loco sunt
 fundamenta, foras manante anima usque per artus
 perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt,
 atque foramina?

Iam pone Stoicum adversarium haec ut inter se pugnantia risisse. Nam separationem animae a corpore, qualem ex Epicuri auctoritate depingit Lucretius, nec sine magno dolore nec brevissimo temporis momento fieri posse. Huic Epicureos respondisse puto, etiamsi aliquantum temporis opus sit, dum tota anima e corpore discesserit, dolorem tamen qui mortem praecedat brevem esse, cum sensus iam ante ipsam mortem homines deficere soleat. Defectionem autem sensus saepissime sine ullo dolore in vita hominibus accidere. Huc ea quoque spectare puto quae col. VIII in. exstant. Dicit Philodemus sensum nequaquam usque ad extremum mortis limen homini permanere. Nam si permaneret (κἂν ἐπαισθόμενοι διατελέσωσι col. VI 1) sequeretur, ut mors semper cum summis doloribus accideret, quod secus esse multa exempla ante a Philodemo allata produnt. Iam quae de συμπαθείᾳ sequentibus disputantur eodem spectant. Nam si ea quoque usque ad ultimum tempus servaretur, totam corporis dissolutionem anima non sine gravissimis doloribus persentisceret.

6 φήσομέν τε τὴν συμπάθειαν πρὸς τὸ
 σῶμα τῆς ψυχῆς, εἰ καὶ τὰ πολλὰ νόσου
 μετ' ὀχλήσεως αἰτία (συχνῆς ἢ πυκ(νού-
 σ)ης ἀσυμμέτρως τὰ μέλη τῶν ζώων

10 ἢ διῆστανούσης, ἀλλ' οὐ φ(ασί)ν γε ἀδύνα-
 τον λυθῆναι ποτ' αὐτὴν (ἄλλ)ης τυχοῦ(σαν
 (αὐ) ἑτεροιώσεως ἥτις κα(μόν)τι τινὸς (ἦν
 (ἄλ)γ(ηδό)νος αἰτία.

l. 7 νόσου si non certum attamen valde probabile est. Nam vocabulum quod excidit simillimum fuisse apparet eius quod sequitur: ὀχλήσεως. Feminini generis ipsum quoque fuit, cum participia πυκνούσης et διῆστανούσης eo (non ad ὀχλήσεως) referri consentaneum sit. N literam in Scotti exemplo certam agnoscere mihi videor. l. 8 συχνῆς certum. l. 10 Item certissimum post διῆστανούσης non esse enuntiati finem, sed per ἀλλ' οὐ apo-

dosin induci. φασίν scil. adversarii. Literae Φ unus tantum arcus (C) agnoscitur. Ad φασμέν spatium non sufficeret propter literae M latitudinem. l. 11 Mekleri supplementum (τῆς δυστυχούς) cum propter sententiam tum propter spatium literarumque vestigia ferri non potest. Nam αὐτήν ad sympathiam, non ad animam referri grammatica ratio postulat. H ante C certum est. l. 12 ἑτεροιώσω. In hac notione totius disputationis cardo vertitur. Quid sit ἑτεροιώσις vel quod idem est μεταβολή apud Philodemum, proxima columna (IX) luculenter docet. Monendum praeterea Epicurum eam quae proprie dicitur μεταβλητικὴν κίνησιν (i. e. qualitatum mutationem) sustulisse, solam μεταβατικὴν reliquisse, quae fit συγκρίσει καὶ διακρίσει τῶν ἀτόμων (cf. frgm. 291 Vs.). Iam coepta animae a corpore separatione sensum ac sympathiam statim tolli, inde Epicurei explicabant, quod tantopere mutatis atomorum vitalium sedibus etiam sensum, qui est animae qualitas principalis, amitti necesse esset.

Hanc igitur sententiam enuntiato supra a me exscripto ac restituto inesse arbitrator: Etiam morbum, qui spasticus dicitur (describitur l. 8—10), cum mutatione animae coniunctum esse apparet, cum anima corporis membra alternis contrahat atque distendat, quod per σύγκρισιν et διάκρισιν fieri manifestum est. Quam mutationem cum dolore coniunctam esse Philodemus concedit. At inde nequaquam sequi, cum gravior atque violentior mutatio acciderit, qualis in morte fiat, item servata corporis animaeque sympathia dolores sentiri. Nam fieri posse ut eadem sympathia quae aegrotanti dolorum causa fuerit brevi post graviore mutatione facta non iam exsistat.

Sequentibus ostenditur fieri posse, ut anima ex corporis societate se expediat, atque ita fieri posse ut hoc discidium nequaquam necesse sit cum doloribus esse coniunctum.

λεπτομερῆς γὰρ

- ἀμα καὶ τελέως εὐκίνητος ἢ ψ(υ)χή κα(τ') ἄρ-
 15 θρ)α' τ' οὐτ' ἐκμικροτάτ(ω)ν σ(υ)νεστηκ(ό)τα
 οὔτε λειοτάτων καὶ περιφε(ρεσ)τά(τ)ω(ν
 καθ)ε(ιρ)γμένῃ καὶ παρὰ τοῦ(τ)ο πολλὴν
 ἀ)πορία(ν πα)ρέ(χ)ουσα(ι), πῶς οὐ(κ) ἐξίπτα-
 ται, λ(ε)ιμμέν)ων πόρων ἐν τῇ σα(ρ-
 20 κὶ π(λ)έον) ἢ μ(υ)ρίω)ν.

Supplementa his versibus a me inserta non omnia pro certis vendo. Sed quamquam in singulis verbis parum ipse mihi satisfeci, de tota sententia vix poterit dubitari. l. 13 o praebet λ. to-

μερις, n pro ι habet ε. At nullo modo Philodemus hic σῶμα ψυχῆς dicere poterat, quod supplevit Mekler, cum de sympathia inter ψυχὴν et σῶμα intercedente agatur. Immo τὴν ψυχὴν subiectum fuisse totius enuntiati — μένη illud l. 17 et — ουσα(ι) l. 18 probant. Itaque λεπτομερῆς scripsi, ab optima lectione i. e. oxoniensi non longius quam Mekler recedens. l. 14 inter η et κ nullam literam inseri posse (σ inseruit Mekler) Scotti exemplum docet. Itaque η aut terminatio est vocis antecedentis (ψυχῆ) aut ipsum pro vocabulo habendum, ut ἦ vel ἦ vel ἦ legatur. At nec ἦ nec ἦ locum habere possunt. ἦ autem si quis legere voluerit, ita fere textum conformabit.

λεπτομερῆς γάρ (τις

ἐάν) καὶ τελέως εὐκίνητος φύ(σις) ἦ[ι]

Neque negari potest φύσις literarum vestigiis apud Scottum exstantibus aptius esse, quam ψυχῆ, quamquam de anima agi certissimum est. Sed tota haec supplendi ratio reiicienda fuit quod verba tam contorte a Philodemo collocata esse non verisimile erat. Eo igitur confugi ut η illud pro terminatione vocabuli ψυχῆ acciperem. Quod fieri non potest nisi ut υ, in Scotti exemplo manifestum, in ψ mutemus. In sequentibus verbis satis audaci impetu quae de atomis dicuntur 'levibus atque rotundis' non ad animam sed ad corpus referre conatus sum. Cuius rei causas addere opus est. Verba initio enuntiati posita λεπτομερῆς — καὶ τελέως εὐκίνητος non possunt nisi de anima dicta esse. Quid haec animae descriptio sibi velit, verba l. 18 πῶς οὐκ ἐξίπταται produnt. Λεπτομερῆς autem id est, quod ex particulis subtilibus constat; εὐκίνησις secundum Epicuri placita ex particularum subtilitate explicanda est. Haec de anima recte atque ex Epicureorum consuetudine a Philodemo dicuntur. Iam si verba sequentia item de anima dicta essent (ἐκ μικροτάτων συνεστηκυῖα — λειοτάτων καὶ περιφερεστάτων), aut tautologiam ineptam Philodemus admisisset, aut quod multis adridere arbitror quae antea breviter adumbraverat accuratiusque explicavisse putandus esset. At si hoc tibi sumpseris, quid de verbis papyri κα α-τουτ fiet? Nam utut hanc lacunam supplebis, vel καὶ διὰ τοῦτ' vel καὶ παρὰ τοῦτ' vel κατὰ τοῦτ', nunquam logicae rationi sufficies, quae accuratiorem de animae natura expositionem ut causam non ut consequentiam addi postulat. Hac ratiocinatione tandem eo perductus sum ut pro τοῦτ' τ' οὔτ' legendo ad corpus verba sequentia referrem. Nec non eo haec coniectura commendatur quod Philodemum, dum corporis animaeque sympathiam

aeternam non esse probat, corporis quoque, non animae tantum rationem habere par est. Diversissimam videlicet a corporis natura animam esse affirmat, unde animam simulac licuerit ex corporis coniunctione se expedituram esse concludit. Hac de causa proprias animae qualitates, scilicet atomorum subtilitatem, levitatem, rotunditatem a corporis atomis quam maxime alienas esse iactat. Atque praefracte nego hanc corporis ab anima diversitatem nisi negativa quam vocant forma exprimi potuisse collatis Lucreti versibus III 191 sq.

at contra mellis constantior est natura
 et pigri latices magis et cunctatior actus:
 haeret enim inter se magis omnis materiai
 copia, ni mirum quia non tam levibus exstat
 corporibus neque tam subtilibus atque rotundis.

Quod autem ex duobus membris per οὔτε — οὔτε inter se oppositis alterum coniunctione καί scinditur, id inde explicandum est, quod praeter pondus duas tantum qualitates Epicurus in atomis esse voluit, magnitudinem et formam (cf. ep. I p. 14 Vs.). Iam cum et levitas et rotunditas ad formam pertineant, merito λειοτάτων καὶ περιφερεστάτων in unum membrum artissime coniunguntur. l. 20 Mekler πολλῶν ἢ μ(υρίω)ν suppleverat, ego pro πολλῶν posui πλέον, quod quanto praestet sine argumentis intelligitur. πῶς οὐ(κ) l. 18 legendum erat, non supplendum aut mutandum.

Sequentes quoque versus supplementis factos proponam non quo in his quidem pristina forma certo recuperari possit, quod propter reliquiarum egestatem non licet, sed ut appareat cum nostra praecedentium versuum conformatione nequaquam eos pugnare.

20 ἐκ τίνος (δὴ?), κἂν
 εἴ(ωμ)ε(ν ἀληθόν)ο(ς) αἰτίαν εἶναι,
 τῆ(ν τῶν τοιούτων διά)κρισιν λίαν δε-
 δοίκα(μεν ἤς τάχιστ' ἀ)ποτετελεσ-
 μέ)ν(ης ἀναισθητή)σομεν.

Iam eo procedit Philodemus, ut animae a corpore separationem adeo non cum gravissimo dolore semper coniunctam esse contendat, ut etiam delectationem eam interdum parare veri simile sit.

κἂν, εἴ τις, ἐπειδήπερ ἐκ
 30 τῶν) τοιούτων συνέστηκεν, ἀξιῶ[ι] δ(ὴ
 ταρ)απτόντων κατὰ τὴν σύγκρισιν
 ὄν)τως μεθ' ἡδονῆς γίν(εσθαι τὰς
 τε)λευτάς, οὐκ ἂν ἀπίθαν(ον λέγοι, κα-

τὰ τοῦτο μὲν συμβαίνει(ν λύεσθαι
 35 τὴν) ἀνυπέμβλητον κοινω(νίαν μεθ' ἡδο-
 νῆς) καὶ τέρψεως καὶ γα(νύσεως).

l. 30 συνέστηκεν scil. anima, quae ex minimis mobilibusque corpusculis constat, corporis tegimento liberiore motu prohibitis.
 l. 31 παραπτόντων scil. τῶν γῆς ψυχῆς μερῶν. Subiectum genetivo absoluto additum non est, quod ex praecedentibus (τῶν τοιούτων) facile suppletur. κατὰ τὴν σύγκρισιν cf. Epic. frgm. 311 Vs. ὕπνον τε γίνεσθαι τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν τῶν παρ' ὄλην τὴν σύγκρισιν παρεσπαρμένων ἐγκατεχομένων ἢ διαφορομένων. Eodem modo hic σύγκρισιν de corpore humano dictum puto, in quo morbo letali ingruente atomi vitales turbas cient.
 l. 34—36 Quae hic Philodemus dicit non ita accipienda sunt, quasi ex animi sententia dicta sint. Id tantum scriptor agit ut adversarium coarguat, ipsa per se separationis mortiferae natura tam voluptates easque summas quam dolores gravissimos posse cieri. Nam si recte sententiam Philodemi supra adumbravimus, nequaquam hanc separationem semper dolore carere probaturus est. Sed hoc voluit: idem cadere in dolores mortem praecedentes quod in omnis vitae dolores cadat, scilicet, diuturnos semper parvos, magnos breves esse. Errare igitur qui mortem propter dolorum gravitatem timendam putent, utpote quae nec semper cum dolore coniuncta sit, — quod saepe ante extremum anhelitum sensus deficiat, — nec intoterabilem possit dolorem afferre — quod dolore nimis ingravescente sympathia animae et corporis ut in tota vita ita in fine vitae solvi consueverit. Itaque idem fere Philodemum probavisse arbitror, quod Seneca ep. 30, 14 amicum quendam Epicureum narrat dicere solitum. Quodsi l. 35 τὴν ἀνυπέμβλητον κοινω(νίαν) Philodemus memorat, ridendi adversarii causa vocem ab illo adhibitam repetere mihi videtur.

Col. VIII verba extrema ad col. IX nos traducunt.

36

ἐπὶ

δὲ γερóντων μεταβολαὶ γίνονται

Col. IX κατὰ τινὰς μέθας καὶ κύ(ματα χω-
 ρίς) πόνου (καθ)άπερ ἐπὶ τῆς ἀ(ὑ)ξήσεως
 τῆς ἀπὸ τῶν παιδίων ἐπὶ τῆ(ν ἀκ(μῆ(ν
 καὶ) τῆς ἀπ(ά)σης ἀπὸ τῶν ἀκ(ρ)ων φθί-
 5 σεως) ἐπὶ τὸ γῆρας· γίνονται δὲ νεανί-
 αις) μεταβολαὶ καὶ δι' ἀσυμμέτρων
 κινή(μάτων ὡσπερ εἰς ὕπνον ὑπὸ τοῦ
 μηκ)ωνίου· πλὴν καὶ τὸ βιαίου(ς γ)ίνεσ-

- θαι) τοὺς ἀποσπασμοὺς τῆς ψυχῆς) ἀπὸ
 10 τοῦ σώματος καὶ διὰ τοῦτο τὴν μεγίσ-
 την ἔτ)εροίωσιν (ἐπ)ακολουθεῖν ἀ(ρα)ιώ(σει
 τὴν αἰσθητ)ικ(ῆ)ν ἔ(ξι)ν.

col. IX 1 κῶματα posui. Papyrus habet χω-, sed χ et κ saepe inter se permutari constat. In sequentibus versibus pleraque iam Gomperzsius et Mekler recte suppleverunt; addidi l. 2 αὐξήσεως l. 3 ἀκμήν; utrumque certum duco.

Agitur de sensus defectionibus quas omnibus aetatibus accidere ac plerumque dolore carere Philodemus ostendit. Fiunt autem μεταβολή τῆς ψυχῆς i. e. mutatis atomorum vitalium locis. Iam mors nihil aliud est quam μεταβολή illis multo violentior. Ergo mortem quoque cum sensus defectione eaque omnium celerrima fore coniunctam. l. 11 quod posui ἀραιώσει ex eo explicandum est, quod dicit Lucretius III 566 sq.

ni mirum, quia per venas et viscera mixtim,
 per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni
 nec magnis intervallis primordia possunt
 libera dissultare, ideo *conclusa moventur*
sensiferos motus, quos extra corpus in auras
 aëris haut possunt post mortem eiecta moveri
 propterea quia non simili ratione *tenentur*.

Vides secundum Epicurum atomos vitales inde tantum sentiendi facultatem adipisci, quod a corpore conclusa tenentur. Quodsi sentiendi facultas (ἡ αἰσθητικὴ ἔξις) πυκνώσει servatur, eandem per ἀραίωσιν tolli necesse est.

- l. 12 οὐ γ(ὰ)ρ ἔξ ἀνάγκης
 φυσικῆς οὐ)δὲ κ(οινή)ν ὤ(ραν τοῦ) ἔ(του)ς ὤ)ς καρ-
 ποὶ ἀπὸ τῶ)ν δένδρω(ν ἀ)λλὰ καὶ κα(τ-

Haec ludendo magis quam certis rationis fundamentis innisus supplere conatus sum. Causa, ni fallor, affertur, cur animae a corpore separationem violentius accidere consentaneum sit.

Haec erant quae ad columnas VIII et IX restituendas me conferre posse dixeram. Neque dubito quin nonnulla ita administraverim, ut peritiorum desiderent epicrisin, quippe qui nunc primum hanc difficilem artis nostrae regionem adierim. Haud pauca tamen prudentibus harum rerum iudicibus spero probatum iri.

II. Initium col. XII plane eodem modo supplevit Dielsius atque ego suppleveram.

- 2 διότι τὴν ἄωρον τελε(υτὴν)
 τινες ἐκκλ(ίνου)σιν ἐλπ(ίζοντες) πολ-

- λῶν ἀγαθῶ(ν ἐ)ν τῷ πλεί(ονι χρόνῳ
 5 κ)τῆσιν ἔξειν
 Sed ea quoque quae sequuntur restituere conatus eram.
 5 ἃ χω)ρίς τῆς γνησ(ίας σο-
 φίας οὐδ' ἐν ὑπ(νω)ι δυνατὰ (κ)τήσασ-
 θαι. δι' ἣν αἰτία(ν) αὐτὴν νεότ(ης ὑπὸ
 τῶ)ν πλείστων (ἀ)νθρώπων ἐ(κακίζε-
 το, πλείστον χρόνον ἐπίθεσιν (σοφίας
 10 ποιουμένων ἀ(π)ὸ λόγου πως ἐ(χέγγυ-
 ον.

1. 5 ἃ certum est cum propter spatium, tum propter sententiam
 1. 6 Papyrus praebet δυνατὰ. Quod ferri non potest, cum sub-
 iectum plurali numero antecedit (τινες). Itaque ἃ pro subiecto
 habendum. Neque δυνατός ita cum infinitivo coniunctum offen-
 sionem praebet. Cf. Xen. Anab. II 1, 24 ὁδὸς δυνατὴ καὶ ὑπο-
 ζυγίους πορεύεσθαι. — κτήσασθαι. Vix aliud verbum et senten-
 tia et spatio lacunae aptius invenias, cum περιποιεῖσθαι, quod
 de bonorum acquisitione usitatissimum est, paullo longius sit
 quam ut hic inseri queat. 1. 7 νεότης certum est. Vide sis ex-
 tremam huius columnae partem et sequentem columnam, ubi
 summa quaeque vitae humanae bona iam ab adolescentibus parari
 posse demonstratur. Nititur haec disputatio ipsa Epicuri aucto-
 ritate qui initio epistulae tertiae postulat: ὅπως νέος ἄμα καὶ
 παλαιὸς ἦ διὰ τὴν ἀφοβίαν τῶν μελλόντων. Ἐκακίζετο exempli
 gratia posui, formam verbalem latere a Buechelero monitus. Hoc
 igitur vult Philodemus: plerosque homines iuventutem parvi ae-
 stimare propter eandem causam i. e. quod maxima bona provec-
 tiore demum aetate se adepturos sperent, 'dum tempus plurimum
 sapientiae augmentum esse putant, quasi temporis nomen ipsum
 per se sapientiae adipiscendae spem certam et fidam faciat'. 1. 10
 ἐχέγγυον. In papyro nil nisi o apparet, ita tamen ut dextra
 pars literae lacunam attingat. Non violentum igitur pro o legere
 ε. In vocabulo eligendo ea ratione ductus sum, quod 1. 10 in
 vocalem desiisse vocabulorum scindendorum leges, quae per pa-
 pyros valent, evincunt. Itaque adiectivum in ος, ον terminans
 restituendum erat, quod ante terminationem vocalem habet. ἀπὸ
 λόγου ita interpretor, ut fontem spei indicet, quam de futuro tem-
 pore plerique homines habent. Verbo enim confidunt, rem ipsam
 neglegunt. Quasi vero temporis vox nuda sufficiat, ut fidem fa-
 ciat bonorum adipiscendorum!

11 χρόνῳ μὲν (γὰρ) μετροῦν(τες τὰγα-

θ(ἀ) οὐδὲν μέ(γα περιποιησόμε(νοι φαί-
νονται, τῆς διαν)οίας ὑπὲρ τῶν . . .
. τὸ μ(έλλο)ν κενῶς πε(φρι-
κυίας)

Duobus supplementis Meklery lectionem auxi, l. 12 περιποιησόμενοι φαίνονται (M. περιποιησόμεθα) et l. 14 τὸ μέλλον κενῶς πεφρικυίας. Utrumque si non certum attamen valde probabile. Lacunam quam l. 13. 14 in textu reliqui ita supplere conatus eram: τῶν (ἀεὶ παρόντων), quod tamen spatii angustiae dissuasurunt ut in textum reciperem. Ad totius loci sententiam confer Epic. fragm. 458 Vs.

Venio ad extremam col. XII partem, quae inde a l. 26 verborum reliquias praebet. l. 26. 27 -ων ἔπα|(θεν) ἐ)ζηκώ(ς κ)α-
τασ- certum est. Ex sequentibus concludo, comparationem hic institutam esse inter adolescentis senisque diem supremum. Itaque sic fere sententiam restituendam puto: ὥστε οὐ νέος καταστρέφων, ἀναμμνησκόμενος δ' ἐπὶ τελευτῆς.

26

δῶν ἀγαθ(ῶν) ἔπα-

θεν ἐ)ζηκώ(ς κ)ατὰ σοφίαν, οἰκτρότερος· ἀλ-
λ(ᾶ γ)έρων οὐθὲν εὐ(ρῶν φυσικῶς) ἀγα-
θό(ν, π)ε(ι)ς(θεί)ς ἀπολή(ψεσθαι) μετὰ τοῦ

30 μ(έλλο)ντος ἀπάσ(ας τὰς εὐχ)άς.

l. 27 οἰκτρότερος mutata papyri lectione (-προς) suppleri quod comparatio comparativum exigere videbatur, nisus praeterea eo quod sequitur ἐλεῆσαι. π et τε saepius inter se permutari notum est. Tamen qui lectionem papyri servaverit, meam coniecturam enecabit. De praepositione (πρός) cogitari posse, praefracte nego. l. 28 εὐρηκῶς quod posuit Mekler, sententiae aptissimum, ad lacunam explendam non sufficit. Melius ut invenirem meditati non contigit. l. 29 Participio *causa* affertur, cur senex bonorum expers fuerit.

30

ποῦ γὰρ

ἐλεῆσαι νέον ἔστω (ὅστις ἂν ἔλοι)το,
ἀναλογιζόμενον (ὄρ)ῶν Πυθοκλ(έα καθ-
ὰ κελεύει Μητρόδω(ρος, ᾧ) περιπε(ποί-
ηται γε(το)νῶς οὐ π(λέο)ν ὀ(κ)τωκαίδε-

Col. XIII 1 κα(ἐτῶν), ἀλλ' οὐχὶ τὸ(ν θανάσιμον)?
βίον Ζήσας ἀνυπονόητος, (ἵνα μεσ-
τό(ς) γένηται παντός εἶδους.

Ubinam is est, quem adolescentis magis (scil. qualem paullo ante depinxerat Philodemus) misereat, cum Pythoclem videt vitae

suae bona ad calculos vocantem, quae minus octodecim annos natus adeptus est?

Frequentissimum in ipsius Epicuri et discipulorum ethicis illud praeceptum, quo ad bonorum ante perceptorum recordationem homines admonentur. Hunc enim fontem esse gaudiorum purissimum. Quod hic ἀναλογίζεσθαι, aliis locis ἐπιλογίζεσθαι audit. Cf. Epic. fg. 423 Vs. ὁμοία δὲ καὶ τὰ Ἐπικούρου, λέγοντος τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν ἐξ αὐτῆς τῆς φυγῆς τοῦ κακοῦ καὶ τῆς μνήμης καὶ ἐπιλογίσεως καὶ χάριτος, ὅτι τοῦτο συμβέβηκεν αὐτῷ γενᾶσθαι. cf. 434—438. Talem igitur bonorum a se perceptorum enumerationem Pythocles Epicureus octodecim annos natus literis mandavisse videtur. Qua re cum placita sua de iuventute ipsa quoque ad sapientiam idonea non mediocriter confirmarentur, Epicurus in epistula ad eum data summis laudibus adulescentem extulit. Cf. fg. 161—165 Vs. Ac valde gavisus sum, hoc Philodemi loco recte suppleto, patere quid nimiae illae Pythoclis laudes sibi velint. Quem quasi exemplar exstitisse adulescentiae secundum scholae praecepta optime peractae testatus est ὁ περὶ Πυθοκλέους οὕτω γεγονότος ὀκτωκαίδεκα ἔτη γράφων οὐκ εἶναι φύσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι ἀμείνω καὶ τερατικῶς αὐτὸν εἶ ἀπαγγέλλων καὶ πάσχω ἀπὸ τῶν γυναικῶν, εὐχόμενος ἀνεμέσσητα εἶναι πάντα καὶ ἀνεπίφθονα τῆς ὑπερβολῆς τῷ νεανίσκῳ. Nec non novum quasi lumen hac inventiuncula eis affertur quae de Metrodori et Themistae laudationibus et de Carneisci Philista disputavit Vsener in Epicureis p. 93. Apparet enim ex amicorum numero alios aliis Epicuri praeceptis luculentius satisfacisse. Unde factum est ut quasi vivum suae quisque virtutis exemplar a magistro celebrarentur. Vides igitur quanto apud Epicureos artior sit doctrinae cum vita coniunctio quam apud Stoicos ceterasque scholas philosophorum. Verba autem (καθὰ) κελεύει Μετρόδωρος non de epistula Metrodori intellego ad Pythoclem data (id enim praesenti tempore κελεύει confutatur), sed de praecepto Metrodori, quo Epicurum secutus Pythoclem exemplar adulescentiae perfectae Epicureis proposuerat.

Col. XIII 1 θανάσιμον exempli gratia posui, ut sententiam supplerem, non quo persuasum habeam hoc ipso verbo usum esse Philodemum. Sed cum adiectivum ἀνυπονόητος supplementum aliquod desideret, quo exprimatür τί οἱ ἄφρονες οὐχ ὑπονοοῦντες διαγίνονται, quod tamen in sequente lacuna propter spatii angustias locum non habet, epitheto substantivi (βίον) obiectum illud τῆς ὑπονοίας expressum fuisse conieci. θνητὸν βίον ζῆ οὐχ ὑπο-

νοῶν = οὐχ ὑπονοεῖ θνητὸν βίον ζῶν. 1. 2 Sententiam finalem (ἴνα — γένηται) ad περιπεποίηται referendam esse vix opus est monere. μεστός cf. Lucret. III 938 cur non ut *plenus* vitae conviva recedis? Philodemus, ut explicet qui tandem fieri poterit, ut Pythocles iam adulescens octodecim annorum, omnibus vitae humanae bonis naturalibus perceptis, cupiditates finiret, ostendit eum non ceterorum instar vitam degisse, qui dum ea quam natura largita est aetate nesciunt uti, infinitam sibi aetatem exoptant (θνητὸν βίον ζῶντες ἀνυπονόητοι), sed ab ineunte aetate nihil antiquius habuisse quam ut naturales animi appetitus explendo ad finem cupiditatum atque perturbationum veniret. 1. 3 Ad verba παντὸς εἴδους ex totius loci sententia splendendum est τῶν ἀγαθῶν. Quod omissum mihi quidem nullam offensionem praebet, quia antecedunt verba ἃ περιπεποίηται, unde de bonis agi consentaneum est.

Post εἶδους in papyro spatium vacuum apparere ideoque novum a verbo sequente enuntiatum esse incipiendum Dielsius monuit in censura editionis Meklerianae. Quod enuntiatum antequam suppletum restitutumque proponam, praedico quod Mekler posuit l. 8. 9 προθήσεται scriptiois genere, quod per papyros valet, quamvis sententiae aptum videatur, refutari. Nam l. 8 in vocalem exiisse ex divisione vocabuli patet, cum praesertim et praecedente et insequente versu literis quibusdam latius prominentibus non erat quod scriba προθήσεται post θ ridicule scinderet. His praemonitis ipsum contextum proponam.

3

ἐξὸν δὲ

ἐ(μ)ποσῶ χρόνῳ τὸ μέγιστον αὐ(τῶν)

5

καὶ περιποήσασθαι κα(ι) ἀπολαῦσαι, κ(α-
θάπερ ὑπέδειξ(α, οὐκ)έ(τ)ι νέος τις ὁ (μὴ
μα(ιν)όμενος ἐπ(ι) το(ῦ)το καὶ τῆς ἀπε(ι-
ρίας, οὐχ ὅ(τι) τῆς τοῦ (γ)έροντος προσ(ποι-
ήσεται ζω(ή)ς etc.

l. 4 αὐτῶν sc. τῶν ἀγαθῶν. cf. adnotationes ad versum praecedentem. l. 6 ὁ μὴ μαινόμενος 'nisi forte insanit'. l. 7 ἐπὶ τοῦτο, ad bonorum acquisitionem, quippe cui temporis quodlibet spatium sufficiat. l. 8 προσποιεῖσθαι cum gen. invenitur Ar. Ecol. 871 et saepius.

III. Col. XVII partem priorem male intellexit Bureschius (de cons. p. 145) cum οὐχ illud l. 4 ex errore scribae ortum putat. Interest enim permultum inter eam sententiam quam improbavit Epicurus ὅτι καλὸν μὲν μὴ φῦναι, φύντα δ' ὅπως

ἄκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι (ep. ad Men. 126) atque eam quam et hac columna et praecedentibus atque sequentibus Philodemus tuetur: καὶ τὸ νέους τελευτᾶν αὐτὸ καθ' αὐτὸ οὐκ εἶναι φοβερὸν. Neque enim de infantis sed de adolescentis obitu hic agitur. Hoc autem sentit Philodemus: adolescentis mortem, siquidem aetate iuvenili prudenter usus sit, nihilo tristiore esse quam senis. Sed haec in transcursu tantum monere in animo erat. Accuratus de extrema huius columnae parte agam. l. 17 occurrit nomen Anaxagorae, quem ex physicis Epicuro maxime probatum fuisse notum est. Iam cum de morte immatura, ut supra dixi, his columnis agatur, notissimum illud Anaxagorae dictum: ἦδειν ὅτι θνητοὺς ἐγέννησα a Philodemo laudatum esse proclivis est coniectura. Poterat etiam alia quaedam de morte adolescentis aut de poenis impiorum post mortem dandis (l. 8 sq.) Anaxagorae sententia afferri. Hac coniectura usus l. 30 sq. ita fere supplendas puto:

30 ... ἀλλ' οὐ(χι) περὶ τ(ῆ)ς αἰτία(ς τοῦ λό)γου,
 δ)ν ἔφη(σε, τοῦ σ)οφοῦ διέμα(θ)εν ὡσπερ ἡ-
 μεί(ς, (ὁ) λέγω(ν οὔτ)ι παρ' ὄ(περ) ἡμεί(ς.

‘Sed nequaquam de causa dicti illius quod sapienter edidit, tam accurate quam nostra schola edoctus fuit, quamquam nil profert, quod pugnet cum nostris’. Anaxagorae nomen etiam versu duodecimesimo latere, Mekler vidit. Unde sequitur eundem esse subiectum verbi διεμάθε. Praecessit laudatio physici illius Epicuro maxime accepti, verbis a nobis restitutis laudes intra iustos terminos revocantur. l. 30 in articulo τῆς errore scribae η omisum puto. l. 31 διέμαθεν certum est, quamquam primae duo literae (δι-) in unam N literam coaluerunt. Sed cf. col. XVIII 2 apud Scottum, ubi vocis διαθέσεως initium plane eodem modo corruptum est. l. 32 οὔτι dubium videtur, quamquam mihi quidem melius non suppetit.

Sequentibus novam disputationis particulam incipere pro certo habeo. Nam cum Anaxagorae mentio cum iis cohaereat, quae initio columnae disputantur, usque ad l. 32 de illis videtur disputatum esse.

32

ῶι

δ'), ὡσπερ ἐ(ξ)ὸν παρ)αμένοντ(α προκό)ψ(αι
 κ)ατὰ φιλοσοφίαν γ' ἀρπάζεσθαι δ(ει-
 35 νό)ν), φυσικ(όν) μὲν τ(ὸ ν)ύττεσ(θ)α(ι τ)ὸν το(ι-
 οὔ)τον· ὅτ(ι δ' ἄ)λλο(ι)ς εὐλογίαν παρα-
 δι)δοῦς τοῦ (ὁμοίω)ς κατὰ φιλοσοφίαν

προκόψει(ν βεβίωκε), θαυμά(ζεθ' ὡς) ἀ-
γαθο(ῖς ἐντυχῶν πο)λὺ μείζο(σι, διδασ-

40 καλ(ός τ' ἐκλή)θ(η) μυ(ρί)ων.

l. 33 ἔξόν. In papyro τ exstat, quod ex ξ facile corrumpi potuit. Ut hoc vocabulo inserto verba inde a ὡσπερ ad finem versus a sequentibus segregare conarer, monuit γε illud post φιλοσοφίαν, quod post primum alterumve vocabulum collocari necesse erat. Itaque δυνάμενον προκ. κατ. φιλ. similia reiiecienda erant. προκόψαι quamquam una tantum litera in papyro exstat, tamen propter sequentia certissimum duco; nam eam notionem, in qua disputatio quae sequitur fere tota versetur initio statim enuntiati induci oportebat. l. 34. 35 Pro δεινόν poteram de δεδίασι cogitare, nisi vetaret infinitivus. l. 36 ὅτι. In papyro prima litera θ est, quod pro ο saepissime ponitur. Quae sequitur litera in exemplo oxoniensi non bene agnoscitur. Υ magis quam Τ videtur. Sed cum novum hic enuntiatum incipere certissimum sit, mea coniectura commendatur. l. 37 ὁμοίως certum ex conexu sententiarum. l. 38 βεβίωκε. Ne de ἀπέθανε cogitarem, prohibebat participium praesentis παραδιδούς. Nam δι- syllabam inserendam esse e spatio apparet. θαυμάζεθ' ὡς dubium. l. 39 ἀγαθοῖς — πολὺ μείζοσι. Cum tota argumentatio eo tendat, ut mortem iuvenis in philosophia proficientis non magis tristem esse appareat, quam ceteras mortes, enuntiato quod praecessit (φυσικὸν μὲν τὸ νύττεσθαι etc.) contrariam sententiam addi oportebat. Ostendit igitur Philodemus quamquam tristitiae aliquod momentum in eiusmodi obitu insit, tamen id cum bonis multo maioribus compensari. Quae ultima posui mihi ipsi non satisfaciunt, recepi ut sententiam adumbrarem.

Initium col. XVIII usque ad v. 9 μεστόν a Dielsio in censura editionis Meklerianae plane eodem modo suppletum est atque ego supplendum putaveram. Itaque statim ad id quod sequitur enuntiatum pergo.

πο(λὺ μ)έν οὖν κρείττο(ν) ἦν προ(κό-

10 ψαντα σοφ(ῶς νέ)ον ἀξίως τῆς φύσεως συν-
αυξηθῆν(αι καὶ ἀπ)ολαύσαι τῆς δυνα-
τωπάτω(ς) εὐετηρ(ία)ς. ἀλλὰ
καὶ τὸ γει(τνιῶν χάριτος ἄ)ξιον πολ-
λῆς.

l. 9 Mekleri coniectura κρείττον τῆν cum spatio tum ea re confutatur, quod nusquam accusativus substantivi feminini apparet, quo τῆν referri possit. l. 9. 10 προκόψαντα latere e conexu

tam evidenter efficitur, ut editorem fugisse admirer. Item σοφῶς νέον certum duco. l. 12 post δυνατωτάτως excidit epitheton τῆς εὐετηρίας sive adiectivum sive participium. l. 13 χάριτος. Cogitavi de col. XXXVIII 25 καὶ κατὰ τοῦτο τοῖς πράγμασιν εὐχαριστεῖν (ita enim locum esse supplendum Scotti exemplum docet) et de Epic. frgm. 423 Vs.

IV. Col. XIX disputationi quae est de immatura morte finem imponit. Nam verbis quae initio col. XX exstant: ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὸ μέρος etc. transitum fieri ad novum caput manifestum est. Exspectamus igitur in fine capituli summam totius disputationis breviter proponi. Atque haec summa fuit Philodemeae de praematura morte sententiae: neque prudenti neque stulto adulescenti mortem valde dolendam esse, cum prudens, sapientiae Epicureae praeceptis edoctus, etiam brevi aetate bona naturalia pleraque perceperit et sensum cum vita simul deficere animo teneat; stupidum vero et imprudentem morte nihil amittere, cum eorum quae vitam humanam tranquillam beatamque faciant natura expers sit, quae etiamsi Tithoni aetatem assequeretur nihilo magis adepturus esset. Hanc sententiam ultimis columnae versibus inesse arbitror. Quamquam ea quae de adulescente philosopho dicta erant restituere non potui. Sed de stulto hoc fere modo iudicatum esse puto.

- 33 ὁ δ' ἄ(φρ)ων οὐτ' ἀξιόλ(ογον) ἐπιλή-
 ψετ' ἀγαθόν, ἄν καὶ (τ)ὸν Τιθωνοῦ δ(ια-
 35 γένητ(αι) χρόνον, ο(ὔτ') ἄλλο(τρι)ώτε-
 ρον αὐ(τὸ)ν ἐ(νθένδ' ὀ)ταν γ(ένη)ται (τὴν
 ταχίστην αὐ(τίκ' ἢ βρα)δύτερον ἀ(πιέναι

Col. XX 1 κἄ(ν μὴ συ)μβουλεύωμεν ἡμεῖς).

Etiam si de singulis quibusdam vocabulis (velut ἐνθένδε l. 36, αὐτίκα l. 37) dubitetur, sententiam recte a me restitutam esse confido. Nam οὐτ' ἄλλοτριώτερον quod eis qui editione tantum Mekleriana utuntur spatio lacunae non aptum videri necesse est, Scotti exemplum consulentibus certum videbitur, idemque totius loci intellegendi quasi fundamentum est. Sed verba extrema enuntiati, quae initio col. XX exstant (κἄν μὴ συμβουλεύωμεν ἡμεῖς), explicatione egent. Supra commemoravi locum epistulae ad Menoeceum, quo Epicurus eos vituperat qui quam celerrime e vita excedere fortunatissimum ducant. Iam cum Philodemus dixerit, imprudentem nullam iacturam facturum esse, etiamsi statim post ortum suum decedat, ne ab Epicuri sententia defecisse videatur, sententiam suam non ita accipiendam esse monet, quasi

stultos ad voluntariam mortem oppetendam impellat ('quamquam nos nequaquam, ut quam celerrime abeant, suademus').

Haec habui quae ad recuperandas Philodemi sententias conferrem. Ac fateor in rationibus supplementorum explicandis quamquam brevitati studuerim, tamen ne longior fuerim mihi verendum esse. Nam cum per se fieri non potest ut ratiocinationes quibus in restituendo contextu usi simus proponantur omnes, tum ad eam commendationem, quae in contextus emendati atque perspicui ipsa specie posita est, vix quicquam afferre valent. Tamen quae certa putarem ipse, quae dubia utique profitendum erat nec non locorum tractatorum obscuritas sententiarum explicationem quandam sibi postulabat.

Bonnae.

de Arnim.